

1045 ut ajebat, certior factus, Gallos, qui Veronæ erant, in ejus agrum populationem & cædes fecisse, ædificia combusisse, prædas abegisse, Paulo convento ad sua tuenda redire se domum velle ei denunciavit. atque ita, cum legati preces, & Julii atque reipublicæ maximorum erga se promeritorum commemoratio, & sui nota nominis, quam quidem notam atque calumniam accepto ab utroque stipendio, eorum causam tali tempore deferens, erat magnam indelebilemque subiturus, nihil apud ipsum valuisse, Mantuam rediit.

Erat Brixiae in Joannis Francisci Gambaræ equitatu honesta conditione Petrus Longena, ejus oppidi civis, qui indignans se arma ferre contra eam ditionem, sub qua natus altusque annos triginta vixerat, coacto equitum id em sentientium numero, ex oppido profectus Montianum ad Grittum venit, ut militiam reipublicæ faceret, orans obtestansque se recipi. de eo Gitti literis certiores Patres facti, Petrum Longenam recipiendum, & præfecturam **LX.** leviorum equitum ei dandam censuerunt. In comitio vero postridie ejus diei Marco Venerio, qui pridem vulneribus in expugnatione Monsilicensi acceptis usum prope manuum amiserat, scribæ munus in prætura Forojuliensi per quatuor magistratum tempora dono datum, ut se alere familiamque suam posset. Filiis autem Ludovici Michaelis, quem Caravagianæ arcis custodem Galli captivum fecerant, atque in Galliam miserant, in triremibus reipublicæ balistarum loca decem, nobilibus adolescentibus dari solita, ad eorum matrem seque ipsos sustinendos item dono attributa. Inter hæc Senatus certior factus Hispanos equites, qui Veronæ erant, a Ferdinandi Neapolim reverti jussos ab oppido tuendo discessisse, literas ad legatum Grittum dedit, ut cum iis quas habebat copiis Veronam contenderet: confidere se, si id celeriter faciat, posse ab eo urbem prope vacuam recipi, præsertim si edictum proposuerit, nullius civis in rempublicam injurias Senatum vindicaturum, civitatemque immunem omnium onerum jubere esse, si ad rempublicam red-